DE OPHTHALMIA NONNULLA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VII. M. FEBRUARII A. MDCCCXLIX.

HORA XII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

THEODORUS GEORGIUS MIGEOD

BORUSSUS ORIENTALIS.

ADVERSARII ERUNT:

HUGO GRUBER, med. et chir. Cand.

HERMANNUS RUHDEL, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS OBSTIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO,
HUMANISSIMO

F. P. DULK,

PRAECEPTORI SUMMOPERE VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

SYMPTOMATOLOGIA.

Ophthalmia morbus est oculi frequentissimus maximique momenti. Cernitur vario modo, ex ipsa in oculo sede. Etenim membranarum externarum oculi est inflammatio — Ophthalmia externa —, in qua conjunctiva, sclerotica et cornea, praecipue occupatur, aut iris inflammatur, aut profundiores partes interiores oculi corripiuntur — Ophthalmia interna —, ubi corporis ciliaris, chorioideae, retinae, capsulae lentis membranae vitreae inflammationes gignuntur, aut totus bulbus oculi afficitur; quae Ophthalmiae ex signis minus gravibus aut essentialibus animadvertuntur. Ad illa rubor, dolor, tumor, temperatura valde aucta, vel ardor et quae ex his omnibus sequitur, functio depressa pertinent; huc — quae quidem nonnisi certis in casibus gigni solent, exempli gratia in inflammatione fortissima — febris et functiones gastricae perturbatae referuntur. Symptomata ergo sunt, qualia quaque in inflammatione cujusvis organi cernuntur, quaeque gradu non modo, sed etiam ratione mutua maxime variare possunt, etiamsi omnia ut annuli catenae cohaerent.

Quod attinet ad ruborem, prima haec est morbi

species. Pendet ex continua sanguinis congestione, quae bene est distinguenda a forte praetereunte, ut ex partu periculoso nasci potest. In alba membrana oculi, i. e. sclerotica, magis vel minus acriter apparet, quod pendet ex vi, qua sanguis in vasa, in quibus antea sanguis non erat, pellitur; maxime est evidens, si externae oculi membranae inflammationis sunt sedes. Apparent hic minimae venarum ramificationes valde impletae, in conjunctiva reticulatae tument, sclerotica inflammatione capta profundum ex rubro pallens cernere licet rete vasculosum, oculoque speciem parat timendam. Si vero organon internum bulbi oculi inflammatione corripitur, rubor paene conspicitur, neque est ejus vis in causa. Quam ob rem Iritis ab initio non nisi colorum commutationem patefacit, iridi caeruleae et glaucae est color viridis, iris nigra et fusca clarius coloratur. — In capsula lentis inflammata sero admodum et quidem nonnisi adjuvante lupa maculae albae insertae observantur, quae in rubra sanguinis vasa transformantur. Inflammatio chorioideae praecipueque corporis ciliaris modo ex colore subcaeruleo scleroticae percipi potest. Intelligimus igitur, inflammationis ruborem valde esse varium, prout organi natura ejusque sedes est, si scilicet partes aut externae, aut internae oculi inflammatione sunt affectae.

Jam vero si rubor ex signo dynamico praeterea varius esse potest, dolor quoque inflammationem comitans plerumque cum ea in eadem est ratione. Patiens primo pulsum arteriarum oculi sentit, quod inde oritur, quia sanguis in arterias irruens aucto impulsu per vasa capillaria ad venas deferri contendit. Arteriae expansionem

cum venis communicare cupiunt, quae tamen suam, ut ita dicam, individualitatem pro viribus servare student, quo in partibus aegris circulationis ordo perturbatur, nervi parietum arteriarum ramificationesque nervorum, quae arteriis et venis adjacent, plus minusve comprimuntur et distorquentur, quae compressio distortioque dolorem pungentem pulsantemque excitat.

Ut supra diximus, dolor inflammationem comitans plerumque eadem ratione cum ipsa inflammatione utitur, neque addi necesse est, hic modo de inflammationibus partium nervis vasisque abundantium agi, dum altera ratione in partium profundiorum inflammatione, exempli gratia tunicae humoris aquei, dolor valde exiguus esse, praetereaque in inflammationibus tardis torpidisque conjunctivae non adesse, et tamen ex hac inflammatione oculi maximum nasci potest periculum, ita ut dolorem deficientem nequaquam despicere, malumque ipsum ex hac causa leve ducere liceat; sicuti pari modo doloribus, qui circa oculum sunt, in scleroticae vel oculi inflammationibus rheumaticis cave inducaris ad quaerendam morbi causam alio loco, quia dolori conjunctio recta cum ipsa inflammatione videtur deesse.

Tumor est tertium inflammationem comitans signum, qui sic gignitur, ut vasa sanguine abundantia formas omnes in partes extendant, qua de caussa adstrictae duraeque esse videntur. In exiguo inflammationis oculi gradu vix sensibus percipi potest, sicuti in illa scleroticae, chorioideae, retinae. — Clarissime conjnnctiva intumescit, praecipue ubi cum formis subjacentibus laxe est conjuncta, dum conjunctiva, aut cornea, quacum dense con-

juncta est, tumore caret. Iritis iridem usque ad corneam pellere valet, ceratitis formam sphaericam amittere, inflammatio tunicae humoris aquei tumorem sphaericum gignere, inflammatio totius bulbi oculi ipsum oculi bulbum valde propellere potest, ita ut Exophthalmia nascatur. Dolor autem nunquam deest tumori, quia formae molles vasis compressae cuique impressioni externae resistunt. Nam nervorum formae partium mollium, incredibili sanguinis impulsione jam laborantes, eo vehementius afficiuntur, ita ut mollissima jam impressio externa ab iis sentiatur, ipsarumque jam palpebrarum commotio partibus aegrotis dolores maximos paret.

Quo plura signa in partibus oculi patientibus processerunt, eo clarius signum patet essentiale: temperatura aucta, vel ardor. Omnibus partibus, quibus congestiones provocatae sunt et circumscriptae, quibus igitur sanguinis fluor in actione aucta vitalique est, sanguinis circulantis copiam tritumque parietum vasorum egregie magnum esse necessarium est. Primum temperatura aucta, tum ardor est, id quod pari modo in oculi inflammatione cernitur. Hic modo variat gradu, genere, sede. Ophthalmia Aegyptia sensum carbonum ardentium in orbita praebet; in quaque inflammationis forma acuta gradum fere haud tolerandum adipisci, in Ophthalmiis chronicis contra plane deesse potest. Quae signa characteristica supra descripta, si comprehendimus, neque symptomata singularia amplius contemplamur, imaginem ipsius morbi, quam Ophthalmiam vocamus, exhibent; praeterea intelligimus, ipsum oculum illorum effectu — i. e. morbo ipso — magis vel minus in functionibus impediri. — Aegrotum de cernendi sensu

turbato querentem audimus, quod ab impedimentis mechanicis proficiscitur. Lacrymarum et muci secretio aucta corneam tegunt. Commotiones oculi tumore aut dolore inflammationem comitante praepediuntur. Inflammationes conjunctivae exiguae sensum praebent, quasi aegroto arena in oculis sit, patientisque oculus aegre aperitur lucemque maxime fugit. In Iritide et Ophthalmia interna photophobia est fortissima, ita ut quemque oculi aperiendi conatum vehementissimi dolores sequantur. Attamen signa modo descripta non symptomata ipsius morbi, sed potius minoris sunt momenti medicoque eo minus respicienda, quod ipsa apta inflammationis formae curatione secedunt. Item agitur de aliis signis Ophthalmiam comitantibus, de febri et gastrocismis, nisi forte inflammationes illas effecerunt.

OPHTHALMIAE DECURSUS.

Inflammatio sthenica, quae apud homines sanos validosque praecipue invenitur, rapide decurrit, finiturque ut quaeque inflammatio aut suppuratione et exsudatione, aut divisione. Duo stadia hic reperimus, alterum revera inflammabile, in quo inflammatio usque ad punctum certum, certam acmen increscit, stimulique capacitas sanguinis vasis nititur; alterum decrementi, ubi natura quasi exaequationem anomaliae cupit circulationis, quo energia diminuitur, tensio vitalis residit et adhuc modo nervi irritati aequationem exspectant. Ad illud stadium inflammabile igitur imagines etiam specificae Ophthalmiae pertinent, quae quoque clarissimae in eo

cernuntur. Decursus hujus stadii raro est longior quam dies septem, ad quod tempus inflammatio summum obtinet gradum. In stadio decrementi symptomata sensim residunt, quoad in partibus inflammatione correptis quies fit.

Inflammatio asthenica. Hic duplex esse potest conditio: aut irritabilitas, dum energia imminuta, aucta est, aut ad inflammationem solvendam sua energia satis valere non potest, ut ad normalem suppurationem transducatur. Vulgo inflammationes hujusmodi valde diuturnae sunt, atque aut ex neglectis vel imperfectis inflammationibus sthenicis provocatae, aut principales existunt, et aut apud personas debiles cum irritabilitate praevalente, aut apud homines constitutione debilitata praeditos inveniuntur, ubi inflammationes eo sunt pertinaciores, quo magis unum alterumve principium in corpore praevalet. — Pari modo divisio existit difficilior et plerumque sequitur suppuratio. Signa specifica hic maxime ab iis inflammationis sthenicae differunt. Ut praetermittam, inflammationem sthenicam rarius ad reditum inclinare, inflammatio asthenica inter se varietatem tam multiplicem ostendit, ut, prouti stimuli capacitas aut aucta est, aut minuta, de propria comparatione nequaquam dici possit. Etenim casus ipsi tam sunt intermittentes ordineque carentes, ut imaginem delineare perspicuam arduum sit. Omnibus inflammationibus asthenicis cum capacitate stimuli praevalente dolor est peculiaris, ad quem non raro casus spasmo similes, ut Blepharospasmi, accedunt. Omnino symptomata principalia Ophthalmiae non desunt, excepta eorum aequalitate, in quo praecipue discrimen

duarum inflammationis formarum, sthenicae et asthenicae, quaerendum est. Porro rubor est rarior mutaturque ex sordide rubro in caeruleum; tumor semper est pannose irregularis, photophobia justo major.

Inflammatio torpida contra, i. e. illa cum stimuli capacitate diminuta, photophobia caret, calor raro est auctus, oculus tactus dolorem non sentit; dumque haec inflammationis forma eminens studium suppurationis et degenerationis ostendit, in inflammatione asthenica cum stimuli capacitate praevalente tantummodo inclinatio ad reditum observatur, summumque hebetudo.

Ophthalmia hucusque tractata est morbi species, quae, ut simplex cujusvis organi inflammatio, laesionibus localibus provocatur, quam inflammationem Ophthalmiam idiopathicam nominamus. Sed quo modo inflammationes existunt, quae originem habent non ex locali tantum laesione, tali modo oculi quoque. Item rheumatismus, catarrhus, arthritis, syphilis oculum in sympathiam vocare valent, ut morbi alii existunt, ad quorum symptomata Ophthalmia pertinet, v. c. Scarlatina, Morbilli, Variolae. Has Ophthalmiae species opponimus inflammationi idiopathicae, Ophthalmiam cum comitante signo nominantes, propterea quod propriis signis comitatam conspicimus, quae simplicibus in inflammationibus non animadvertimus, et quorum processum causamque ex morbis comitantibus et constituentibus explicamus. Formas principales cum signis comitantibus certis propriisque habemus, quae sequuntur: Ophthalmiam catarrhalem, rheumaticam, erysipelatosam, tum exanthematicas, nominatim morbillosam, scarlatinosam; porro scrophulosam, scorbuticam, syphiliti-

cam et arthriticam, denique Blennorrhoeas. Non est hic locus rationem producendi, qua inflammationes ante nominatae ex morbis correspondentibus et constituentibus nascantur, omnino enim in generali Ophthalmiae theoria exponenda acquiescere et de signis generatim agere nobis propositum est.

Spectantes enim singula symptomata peculiaria, quomodo in Ophthalmiis ante descriptis cum charactere comitante se offerunt, reperiemus Ophthalmias persequentes catarrhales auctam lacrimarum secretionem; rheumaticas adauctum dolorem; erysipelatosas conjunctivae tumorem; scrophulosam photophobiam auctam; Blennorrhoeas adauctam muci secretionem. — Mentione omnino non opus est, decursum omnium harum inflammationis specierum multo inconstantiorem quam Ophthalmiae idiopathicae, item in sanatîonis casibus reditus non frequentes, sed constantes esse, porro ipsam inflammationem libenter in suppurationem et degenerationem transire. Quibus omnibus inflammationis speciebus, et idiopathicis et illis cum charactere mixto, typus quidam communis est, in quo Ophthalmiae solum conveniunt, qui typhus plerumque constanter remittens est et ex variis inflammationis speciebus exacerbationes suas saepe hora constituta offert; quae in inflammationibus catarrhalibus et in plerisque Blennorrhoeis vesperi, in syphiliticis noctu, in Scrophulosis interdiu manifestantur.

Jam expositum est, quo modo variae inflammationes oculi sese monstrent; venimus nunc ad secundum morbi stadium, stadium dico remissionis. Generatim diximus antea, inflammationem ex natura sua vel in divisionem

vel in suppurationem vel in exsudationem abire posse, quibus adjungimus Ophthalmiam praeterea sphacelum, varicositatem, hebetudinem et paralysin, atrophiam ipsam oculi consequi posse.

Divisio prosperrimus et frequentissimus est exitus, quod omnino minores tantum Ophthalmiae gradus accidere solent. Modice aucta muci secretione sthenica non nimium vehemens designatur et gradatim symptomata generalis inflammationis disparent.

Suppuratio. Postquam Ophthalmiae symptomata, — rubor tumorque in formis pertinentibus ad acmen non mediocrem increverunt, ardor, tensio ac tumor paullatim, ut cerni potest, residunt, quocum simul dolor impar fit et inconstans. Tum pus in inflammationis tumore formari et colligi incipit, quod exitus symptoma praecipue accidit in totius bulbi inflammationibus, in Iritide, et Ophthalmiis cum signo comitante, ut in rheumaticis corneae inflammationibus et in Iritide syphilitica. Ut vero suppurationis processus via est, deletas materias organicas reproducendi divisasque partes conjungendi, item ex viribus in illo agentibus pendet, quatenus hoc prospere procedat. Actio alimentaria quum ejusmodi est, quae suppurationis processui satis subveniat, bonam vel reproductivam suppurationem ad finem pervenire conspicimus, quae prope normali granulationum procreatione spectatur; sin actio alimentaria est insufficiens, aut, ut in dyscrasiis, a via aberrat, materiae reproductio non accedit, sed ejus apparatus novas destructiones afferunt ac suppurationis processus materiae destructio fit, quam suppurationem malam vel destructivam appellamus. — Varia pro in-

flammationis sede vario quoque loco pus gignitur, quod quidem aut in cavitatibus collectum, aut in apertis planitiebus secretum reperimus, quo abscessus oculi et ulcera oculi distinguuntur.

Abscessus in parte oculi interiore frequentissime totius bulbi inflammatione existit paucisque diebus ita crescere potest, ut pus erumpere cogatur, ubi dolores horribiles sunt et ad delirium crescere possunt. Persaepe cornea simul inflammata rumpitur, et nunc pus in interiore oculo accumulatum cum ipsius oculi complexu procedit. Tum dolores subito residunt. Exitus, ut minime mirum, oculo letalis est, margines oris massis cellulosis clauduntur, cicatrix formatur angusta et totius oculi nihil restat nisi truncus. — Praeterea pus in anteriore oculi camera accumulari potest, quem statum Hypopion nominamus. Hoc libere natat et monstrat circuli segmentum, cujus circus deorsum semper versus est. Ex puris copia pendet inopia visus, cujus origo varia est, prouti abscessus in interiore corneae planitie versatus, aut Iritis causa est. – Denique pus inter corneae folia collectum conspicimus, ex corneae abscessu. Suppuratio autem plerumque totam corneam aggreditur, cujus initio ex cano rubens color in planitiem aequaliter fulvam sese mutat. Tum corneae folia solvuntur, foramen in cornea oritur, ex quo pus humorque aqueus effluunt. Quando autem abscessus intra exiguum locum, coërcitus vel non tantus est, ut Hypopion efficiatur, pus delabitur inter corneae folia et status Hypopio aequus — Onyx — formatur, qui itidem specie segmenti fixi circuli manifestatur. Raro

crescit Onyx supra mediam corneam et visum coërcet, sin vero fit, non raro corneae ulceratio finis est.

Ulcera sedem habent in conjunctiva, latius tamen serpere possunt, quod raro in illis scleroticae, frequentius in corneae ulceribus invenimus, quoniam hic cornea et conjunctiva plane coaluerunt. In cornea ab initio macula comparet, quam circa vasorum corona formatur et dum locus quidam tuberculose propellitur, apex suppuratione impletur, tumque pustula rupta in apertum ulcus mutatur. Suppuratio si bona est, inflammationis symptomata adhuc praevalentia residunt et sanatio in universum sequitur, unde tamen cicatrix visum magis minusve coërcens restat. Sin aut suppuratio mala fuit, ulcus latius serpit, corneam percutit, quo corneae fistula existit, aut si substantiae amissio magna fuit, prolapsus iridis, atresia ejus cum ulceris marginibus provocatur. — Alia ulcerum origo Phlyctaenis adducitur, quae non raro in decursu Ophthalmiae catarrhalis, scrophulosae et rheumaticae prodeunt, ubi sedem plerumque in cornea et conjunctiva capiunt. Inter acerbos pungentesque dolores Phlyctaena, aqua in lympham turbidam mutata, in exiguum ulcus transit, quod omnino neglectum novas in circuitu provocat inflammationes et generali inflammatione finiri potest.

Exsudatio multas inflammationes oculi comitatur, praesertim ubi inflammatio ipsa non plane se explicavit, ideoque crisis imperfecta erat. Ex materie fibrosa formantur pseudomembranae, quae eo periculosiores fiunt, quo magis liquidis in partibus aut membranis pellucidis oculi residunt. Hic visui noxiae fiunt. Jam nobis agen-

dum est de vitiis organicis, quorum inter principalia numerantur: maculosa cornea, staphyloma, synicesis, atresia, cataracta. —

Varicositas et ulceratio reperiuntur in inflammationibus, quarum cuncta symptomata jam evanuerunt excepta vasorum explanatione. Pannus hic clarissimum exemplum offert.

Paralysis et nervorum remissio saepe Ophthalmiam sequens invenitur, praecipue apud personas praevalente constitutione erethica, apud hystericas, hypochondriacas: praeterea non raro post Ophthalmias exanthematicas. Tum minimo stimulo lacrymantem videmus oculum, partim rubescentem in temperaturae permutatione. Revera paralysis partium interiorum ex inflammatione restat, neque raro amaurosis ipsa accedit.

Atrophia oculi in gravibus oculi inflammationibus post malam suppurationem, praecipue in dyscrasia generatim praevalente deprehenditur.

AETIOLOGIA.

Quo magis compositum est organum vitae aliquod grave, eo frequentiora impetum faciendi loca influentibus praebet rebus externis, neque praeterire licet silentio, cum functionibus auctis et perfectis facultatem quoque vires noxias componendi et adaequandi crescere, et quo major sit relatio organi ad totum organismum, eo facilius illud ab hoc in sympathiam vocari. Oculus organum est artificiosissime compositum, cujus partes universae in principalibus organismi humani systematibus reperiuntur.

Vivit continua et intensa quidem actione, quiescit et fere inter soporem tantum contra vires externas tutus, praeterea paene sine praesidio quibusvis viribus noxiis expositus est. Insuper quum singulis organismis telis valde sit affinis, ad morbum propensior est. Itaque oculum spectamus duabus rebus petitum, et externis via directa aggredientibus, et generalibus, quae primum corporis partes invadunt, tum consensu in oculum ipsum vim exercent. Causa igitur directa et indirecta.

Causa directa. Distinguimus vires noxias via directa mechanice laedentes, quas ex rerum natura inflammationis status sequatur necesse est, et stimulos mechanicos hunc statum paullatim producentes. Ad primum ordinem pertinent: directae oculi laesiones, externis in oculum illatis corporibus, ut ferri assulis; vulnera vel ictu vel percussione vel plaga parata et laesiones ex ambustione cujusvis generis, denique laesiones chemicae. Ad alterum ordinem spectant corpora aliena inter palpebras et oculum illapsa, vita in pulverulento vel impuro vel fervefacto aëre, item oculi perfrictio. Porro stimuli ex quibusdam oculi morbis, ut e Trichiasi cilia ad bulbum versa, ut e Blepharitide glandulari palpebrarum glandulae tumefactae. Huc pertinet Ectropium, aut Staphyloma magnum, in quibus palpebrae oculum contra aërem insuetum non defendunt, quare oculus aridus factus inflammatur. Tum his adnumerantur contagia ipsum oculum attingentia, ac praecipue vitiosus oculorum usus, quem saepissime in minime apta luce adhibitum conspicimus, nominatim in operibus pusillis.

Causa indirecta. Unumquodque circulationis impedimentum, quod solito fortius et amplius sanguinem in minima capitis oculorumque vasa propellit et in organorum venis diutius retinet, quo vehemens sanguinis congestio procreetur necesse est, plus vel minus Ophthalmiae favet, praesertim quum violenta ista celerisque sanguinis in minima vasa impulsio multum ac diu duret, quia positivus inde oriundus stimulus vim in oculi partes valde exercet, quae pro sua parte reagunt. Perfrictio et suppressa cutis actio hinc adducta Ophthalmias gignit catarrhales et rheumaticas: praecipue pedum perfrictio, qua proxime congestio in caput affertur. Maximam ad inflammationem inclinationem dant quaedam diatheses generales, quas cum propriis virium permutationibus conjunctas arbitramur. Quo ex fonte originem ducentes Ophthalmiae hanc formam externam produnt, quia unaquaeque diathesis telam organicam, quam in organismo omnino et praecipue petit, in oculo quoque constanter quaerit, quare inflammatio viam dyscrasiae generali correspondentem insistit. Conjunctiva certissimam ad inflammationem inclinationem exhibet, quod cutis non solum et tegens et serosa et mucosa ex natura sua esse potest, sed etiam fibrosa, et varias diatheses varias quoque conjunctivae vires appetentes variamque inflammationibus naturam imprimentes videmus, ut in Ophthalmia scorbutica, scrophulosa, syphilitica. — Praeterea in sympathiam ducitur oculus morbis abdominis. Congestio in abdominis venis, quae haemorrhoidum causa est summa, in oculo inflammationis inclinationem efficit, quae con-

gestionis naturam hoc quoque loco servat, quam ob rem varicositate excellit et chorioideam libenter aggreditur. Unde Ophthalmia oritur arthritica, gastrica, haemorrhoïdalis. Postremo Ophthalmias reperimus alios morbos, praecipue Exanthemata, comitantes, ut Variolas, Morbillos, Scarlatinam. Ophthalmia morbillosa, scarlatinosa aut Exanthemati erumpenti jam nonnullis diebus praecedere, aut morbus secundarius restare solet, semper tamen naturam mitem servans; Ophthalmia variolosa contra semper plus minusve oculo periculum ferre potest, nisi in Variolarum decursu oculus praecipue tectus est.

PROGNOSIS.

Omnino ex Ophthalmiarum natura exitum quemque constituimus. Minoris speciei inflammationes prospere exeunt, et vice versa. Summi momenti praeterea sunt hae res:

I n f l a m m a t i o n i s s e d e s. Quo minus oculi pars ab inflammatione affecta functionem illius coërcet, eo minus si apta est cura, metuendum est; quare omnes partes superficiales meliorem Ophthalmiae praebent prognosin, quam interiores, ubi exitus fortasse vel in suppurationem vel in exsudationem organi functionem perpetuo impediunt. Tum vim exserit

I n f l a m m a t i o n i s n a t u r a. Inflammatio rapida majus periculum offert, quam minus rapidae, quibus justum inflammationis stadium percurrendi tempus est; chronicae tum perniciosae fiunt, quum dyscrasiis destruentibus

sustinentur. Tum respiciatur necesse est corporis constitutio aegrotorum. Quo magis validus homo, eo melior prognosis, quia inflammatio hic nullo modo sustentatur. Omnino Ophthalmiae simpliciores faustiores illis cum signo comitante sunt, quarum cura eo difficilior, quo dyscrasia, quae exstitit causa, pertinacior est.

Ex externis inflammationis causis mechanicae, in ipsum oculum vim habentes noxiam, excepta vulneratione cum punctis spicarum externis, quia inflammatio inde orta in corneae suppurationem transit, meliorem prognosin dant quam vulnerationes chemice illatae, in quibus ad substantiae amissionem respiciendum est. Omnino vero conspicimus vim vitalem in oculo mirabiliter agentem, medicatricem naturae vim contra et impedimenta superare et desideria adaequare pollentem, ubi ceteris organis deest. Tantummodo hoc loco naturae contentionem penetrantia corneae ulcera non solum sine substantiae amissione claudendi, sed corneae etiam pelluciditatem conservandi, item ulceris in Hypopio naturalem absorptionem memoremus.

CURA.

Omnia, quae oculum, simulac stadium inflammatorium imminet, adhuc irritant, sunt removenda; cuncta autem irritamenta si superaveris, diligenter cavendum, ne nova irritamenta in oculum vim exserant. Nec oculus alieno corpore irritatus perfricandus est. Pari modo necesse est, minimas adeo alienorum corporum partes

removeri nihilque remanere. Corpus alienum si oculum ita irritat, ut Blepharospasmus gignatur, hunc ante omnia tolli est opus, neque unquam violento conatu palpebras discindere licet. Hic medicamenta spasmos sedantia sunt advocanda, estque exspectandum, quoad spasmus requievit, quo facto aliena corpora irritantia caute removenda. Corpora oculi aliena, si in conjunctiva insunt, praecipue metalli assulae, lapides etc., sic removentur, ut alienae partes cum pincetta attollantur, totaque regio per forficulam una cum proxima tela cellulosa desecetur. Corpora illata si profundius jacent, uti inter corneae lamellas, in operatione maxime nobis est cavendum, ne sectio fiat profundior, quia humor aqueus facile effluere potest. Si corpora aliena, ut assulae metalli, longius in oculo versato sunt, oxydatioque jam est facta, aerugo diligentissime est removenda, quia alioquin suppuratio atque cicatrix non pellucida inde proficiscitur.

In chemicis viva calce perfectis laesionibus oculum aqua abluere minine licet, sed illinere potius laesum locum penicillo in oleo tincto, unde processus chemicus impeditur, ne protinus destructio pergat.

Hisce autem corporibus ex oculo remotis, omnia quoque Ophthalmiae signa, ut rubor, photophobia, aucta lacrymarum secretio tolluntur; scilicet in laesionibus oculi realibus generales leges semper ex laesionis magnitudine aut extensiva aut intensiva respiciamus, ut vulnus ortum se claudat.

Quum Trichiasis inflammationis causa erat, haec praesertim oppugnatur cilia in justam positionem remo-

vendo; item in Dystichiasi, ubi nihil restat nisi ciliorum evulsio. Qua cura inflammationis eruptionem praecavere, vel potius vim ejus frangere possumus, ut minus periculosa fiat. Sin vero Ophthalmia orta erat ex generali partium oculi ratione impari, fortasse ex Ectropio, in quo oculus sine praesidio contra aërem siccescere cogitur aut ex Staphylomate majore, oculum operatione tueri debemus; omnino ubi oculus externis noxiis expositus erat, uti aëri impuro, nimis magno ardori, oculo loco mutando facultas dari debet, commercium cum rebus his noxiis solvendi, quocum inflammationis status per se desinere solet.

Haec igitur inflammationes curandi ratio est generalis, quas vel locali et mechanica laesione, vel stimulo mechanico provocatas primo tempore extinguere facile est. Pervenimus nunc ad inflammationum medelam, quae noxiis in corpore obviis nascuntur, consensu in oculum vim exserentes itaque status inflammatorios provocantes. Hic nobis omnino indicatio prima est causarum remotio, ibique praecipue, ubi causa adhuc pari vi utitur et profligari potest; eventus quidem felix ex facilitate pendet, qua causae possint removeri. Dyscrasiam universam igitur, quae inflammationem provocavit, aut fovet, vinci necesse est. At vulgo non exspectatur, donec dyscrasia sit remota, quia tempus urget oculusque inflammatione jam prius consumi potest. Statim ergo inflammatio remediis aptis oppugnatur, neque evenit raro, ut oculus a morbo vindicetur, etiamsi ceterum corpus dyscrasia adhuc laborat. Ut in posterum autem oculus ad reci-

divam nimis jam propensus, sanus salvusque servetur, de constitutionis immutatione, inflammatione extemplo curata, meditari nos oportet, adhibeanturque tum remedia ista, quae totam nutriendi actionem ad novam normam dirigunt, corpusque a dyscrasia liberant. — Congestiones in caput, quae ex vera plethora nascuntur, sanguinis depletionibus, praecipue pedis venaesectione alvoque exoneranda curantur. Si congestio ex sanguine in abdominis venis consistente producta est, medicamenta sunt necessaria, quae circulationem sanguinis in abdomine expeditiorem faciunt. Proinde methodo solvente utimur, primo quidem remediis non calefacientibus solventibus, quae cum veris medicamentis catharticis alternant; tum solventibus iis, quae simul tonum fibrarum musculorum vasorumque augent: tartaro tartarisato, natronato, terra foliata tartari, aquis Egranis, Kissingiensibus, balneo Mariae vel Caroli, seris, rhei dosibus parvis, extracto taraxaci, graminis, postremo cum extracto chinae conjuncto. — Congestioni haemorrhoïdali resistimus pedum lavatione, vaporatione in anum, hirudinibus eodem loco et inprimis sulphure cum crem. tartari. Sordes gastricae, si erant in complicatione, removentur emeticis, aut purgantibus, velut sale mir. Glauberi, magnes. sulphur, manna, senna, calomelane.

Non hic nobis locus est, diligentius agendi de singulis Ophthalmiae formis, praesertim quum vires meae admodum exiguae tali rei non respondeant. Idcirco rationem Ophthalmiae secundum typum singularem dynamicum curandae describere tentabo.

O p h t h a l m i a s t h e n i c a vitalitatem auctam et sensibilitatem vasorum sumi postulat, medicamentaque eligenda potentiae sthenicae adversa. Inprimis sanguinis depletiones et generales et locales, venaesectione aut hirudinibus instituendae. Illa eo fortius potest adhiberi, quo majus stadium et robustior est constitutio aegroti. Si causae aliae venaesectionem refutant, hirudines eaeque semper justo numero, non minore quam octo vel decem, adjumentum praebent grave, quo etiam in levibus Ophthalmiis sthenicis omnino solo uti solemus. Sanguinis depletiones si exceperis, aqua frigida, per compressa oculo ejusque propinquis locis constanter imposita, remedium antiphlogisticum maxime usitatum est, praecipueque in Ophthalmiis traumaticis adhibendum. Aquam frigidam non applicandam esse in inflammationibus rheumaticis, arthriticis, syphiliticis inter omnes constat, ejusque vice hic funguntur cataplasmata calida mitigantia, ex malvarum, althaeae radicis, sambuci et chamomillarum florum decoctis parata, quibus tensio inflammatoria diminuitur doloresque mitigantur. In levioribus inflammationis sthenicae formis haec cataplasmata calida solutio plumb. acet. cum extr. opii sequitur, ut vasa adhuc extensa et laxata contrahantur. Tum remediis derivantibus, quae succorum cursum minime irritantia aliam in partem derivant, utimur, uti pedum lavatione et leniter purgantibus. Cutis irritationes contra in pura Ophthalmia sthenica raro adhibentur, in rheumatica autem, catarrhali et arthritica raro

deesse debent. Praeter omnia haec remedia antiphlogistica vitae ratio pari modo antiphlogistica sit opus est, praecipueque quod ad oculum ipsum attinet, aegroto maxime est providendum. Quaeque contentio est fugienda, lux conveniens oculisque accommodata esse debet, quia omnia externa irritamenta accidentia oculum jam affectum eo fortius ac gravius laedunt.

In Ophthalmia erethica aucta sensibilitas diminuenda et congestio removenda est. Usus methodi antiphlogisticae moderatus, remediaque mitigantia hic indicata sunt: sanguinis depletio localis per hirudines ad localem sanguinis congestionem imminuendum, et salia secundaria leniter purgantia: tartar. tartarisatus, cremor tartari simulque modica diaeta antiphlogistica. Cutis irritationes, praesertim quum erethismus non est magnus, maximi sunt momenti; caute vero sunt adhibendae in cute valde irritabili nervorumque sensibilitate universa. Si vegetationis processus anomalis adest una cum sensibilitate aucta, infrictiones unguenti cinerei una cum extr. hyoscyami, aut opii, aut calomelanos opiumque salivae admixtum, vel unguentum ex morphio acetico cum ung. simpl. paratum et super ciliis ac temporibus infrictum, prospero gaudent effectu. Fomenta frigida non adhibentur, neque nisi calidis, quae in inflammatione sthenica jam diximus, utimur. Quo loco humor nequaquam ferri potest, calor aridus omnino bono gaudet successu.

Ophthalmia torpida vasorum vitalitatem qua-

litative mutatam ostendit, anomalumque vegetationis processum, in quo simul vasis sensibilitas atque energia ad prosperum morbi exitum adducendum non requiritur. Multum igitur hic interest, vasorum actionem permutari atque augeri congestionemque sanguinis removeri. Plerumque his Ophthalmiis dyscrasia vel cachexia causa est. Qua re medicamenta eo respicientia vocanda sunt: mercurialia, antimonialia, balnea calida cum sulphure, sale et ferro. Ubi generalis exstat debilitas, medicamentis roborantibus et stimulantibus opus est. Auxilium statim sequitur medicamenta derivantia, ortum ex cutis irritatione, quare adhibenda sunt visicatoria vel post aures, vel in cervice posita, aut fonticuli in brachio superiore. Simulac in vegetationem spectatur, calomel cum jalapa administretur, purgantibus semel vel bis per hebdomadem repetitis. Medicamenta, quae oculis medentur, localia ex inflammationis natura optima existunt, et statim in conjunctivae et corneae inflammatae vasa adhibenda sunt: vitriolum album, lapis divinus, cuprum sulphuricum, calomel, arg. nitricum, quae simul adstringentem ideoque bonam vim in laxa sanguinis vasa habent, maxime excellunt et forma applicantur liquida aut unguentaria, calomel in pulveris forma, quod conjunctivam ipsam afficit. Quae medicamenta optime adjuvantur calore arido; omnino calor remedium principale est debilem reproductionem roborandi, et accidit, ut in Ophthalmiis torpidis plane adhibeatur calor.

Haec est generalis curandi methodus in Ophthalmiis, quod naturam dynamicam attinet. Maxime autem exitum inflammationis prosperum adducamus, aut divisionem appetentes; aut simulac Ophthalmia in suppurationem transiit, suppurationis processum persequentes. Si divisionis symptomata prodeunt, medicamenta ad quamque morbi acmen adhibita paullatim diminuuntur. Apparatus antiphlogisticus intermittitur et aegrotus contra stimulos solum tegitur. Hoc tempore medicamenta usurpantur stimulum minuentia simulque adstringentia, quorum inter principalia numeratur aqua ophthalmica ex plumbo. Paulatim aegrotus oculum aëre et luce consuefaciat, neque tamen usus gravis permittitur. Suppuratione perfecta curetur, ut pus, ubi non secernitur in planitiebus, resorbeatur. Nam semper pus inter oculum inclusum symptoma minime desideratum est, quod sine visus coërcitione tum solum transit, quum natura omnino aut magna ex parte resorbet, quod efficit calomel oculo immixtum bis vel ter per diem, id quod adeo in statu oculi valde stimulato libenter toleratur. Tum unguenti cinerei doses magnas in frontem et tempora infrices, denique efficax purgans calomel detur. Praeterea suppuratio arte perfecta in cervice, post aures, in brachio feliciter adhibeatur. Si vero nulla curandi methodus ad felicem exitum perducit, ubi bulbi inflammatio in sphacelum passim transit, suppuratione quam optima bulbum contra totalem destructionem defendere studeamus. Ubi cernendi vis deleta

est, bulbus in truncum corrugatur, sed quo major restat, eo facilius pro amisso oculum artificialem ponere in loco licet.

Quum tamen prospero in casu oculus ab inflammatione liberatus est, et symptomatis superatis, vitalis oculi actio ad normalem functionem rediit, tum nihil restat, nisi ut sanandi tempus ita dirigatur, ut morbi reditus impediatur.

V I T A.

Natus sum ego, Theodorus Migeod, fidei evangelicae addictus, anno h. s. XXIII, Regiomonti, patre Georgio Migeod et matre Carolina e gente Dultz, quos ut deus optimus diu mihi conservet, in dies oro atque rogo. Primis litterarum elementis in scholis publicis imbutus, gymnasium adii Palaeopolitanum, quod directoribus cl. Struve et Ellendt, praeceptoribus doctissimis Müttrich, Gryszewski, Fatscheck, Bender, Rupp, Legiehn florebat, quibus omnibus viris de me optime meritis summas ago gratias. Tempore paschali a. MDCCCXLIV. testimonio naturitatis ornatus a professore Ill. Burdach sen., t. t. prorectore magnifico, civibus almae Albertinae adscriptus et ab Ill. Sachs, t. t. decano maxime spectabili, in medicorum album relatus sum.

Tempore paschali anni h. s. XLVII. Halas Saxonum me contuli, ubi ab Ill. Eiselen, t. t. prorectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, apud Ill. D'Alton, gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum, nomen professus sum.

Mense Decembri anni h. s. XLVIII. universitatem Berolinensem petii et ab Ill. Nitzsch, rectore magnifico, inter cives academicos receptus, Ill. Ehrenberg, gratiosae facultatis medicae decano maxime spectabili, nomen dedi.

Per hoc tempus hisce interfui scholis:

Ill. Taute de logice; Ill. Moser de physice experimentali et de physice organorum sensualium; Ill. Meyer de botanice generali et speciali; Ill. Dulk de chemia experimentali, phytochemia et zoochemia; Ill. Rathke de zoologia, splanchnologia et angiologia; Ill. Burdach jun. de myologia, neurologia, de arte cadaverum rite secandorum; Ill. Burdach sen. de physiologia; Ill Seerig de arte fascias rite applicandi; Ill. Sachs de methodologia artis medicae; Ill. Cruse de materia medica et de pathologia ac therapia generali; Ill. Hayn de arte obstetricia; Ill. Blasius de ossibus fractis et luxatis, de operationibus oculorum; Ill. Friedlaender de historia medicinae; Ill. Volkmann de physiologia, de historia generationis, de anatomia comparata; Ill. Krukenberg de pathologia et therapia speciali. Scholas

clinicas frequentavi medicas Ill. Krukenberg, chirurgicas et ophthalmiatricas Ill Blasius, obstetricias Ill. Hohl.

Omnibus his illustrissimis praeceptoribus, optime de me meritis, gratias ago habeboque quam maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Non est medici, sponte sua, etiamsi artis leges non obsint, provocare partum praematurum, sed ad judicis potius arbitrium res deferri debet.
2. In cornea nulla vasa sanguifera.
3. Olei jecoris aselli vis medicatrix maxime dubia.